

1586 ro militia absunta, ob amplissimos imperii fines, nihil ferre a Turcis amisum; nuper e Græcia ingentem militum copiam in Asiam sub Ferratis imperio trajectam; Assyriæ atque vicinarum provinciarum præfatos quamprimum milites, architectos, fabrosque in Persidem mittere jussos: inde, Persa debilitato, Turca aucto, cito ad pacem venturum Amurathem crederent; id si accidisset, quo tanti imperii moles nunquam acquiescere assueta incumberet, summopere considerandum erat; ac ne post terrestre bellum in maritimum inclinaret. Reginæ Angliæ legatus assidue ad Siciliæ expeditionem Amurathem adhortabatur; eodem tempore Hispaniæ litora cum classe Britanos aggressuros pollicitus. At vero militari disciplinæ adversum plerique opinabantur, Venetorum insulas situ & viribus prævalidas a tergo hærentes relinquere: quocirca ad Cretam muniendam firmandamque nihil prætermittebatur.

Anglus Legatus Turcas ad Siciliæ expeditiōnēm horatatur.

Alia ex parte haud parum ingentia Hispanorum incrementa sollicitudinis afferre Principibus videbantur; qui præter reliquas imperii accessiones, nuper Alexandri Farnesii, Parmæ Principis, virtute ac fortuna Antverpiam, Brabantiae caput, obsidione adepti, eo sese provexerant, ut Galliæ dissensionibus intestinisque dissidiis, quæ ingentibus pollicitis atque auro aluisse ferebantur, jam amplissimo illi ac potentissimo regno adversus exteris gentes invicto inhiarent. Quæ sanæ tanto graviora erant, quod, belli civilis incendio jam universa fere Gallia flagrante, Xystus Pontifex ac Philippus palam foederatis faverent, atque, ut majores in die vires assumerent, eniterentur; ille ob catholicam religionem, de qua in primis agi videbatur; hic, ut facilius quæ diu maturaverat consilia ad exitum perduceret. In tanta vero Galliæ agitatione Philippus ad Genavam occupandam animum intendit, Sabaudi generi ope, quem gloriæ spe incitatum ad quæcumque sibi opportuna essent tentanda, traduxerat, facillime eo, quod cupiebat, potiri se posse ratus. Itaque cum Pontifice de ea civitate expugnanda egerat, pergratum illi fore existimans, si urbs, in quam veluti in sentinam hæreticorum omnes pestes confluerebant, atque inde in alias Europæ partes dispergebantur, in ejus potestatem concederet. Verum Henricus, qui aliquot ante annos in suam clientelam Genavam susceperebat, de iis admonitus, cum